B. N. C.
FIRENZE
1118
21

Digitized by Google

1118 . u

Digitized by Google

FUNEBRIS LAUDA
EGNAT
PATERNI CASTEI
BISCARORUM PRINCIPIS

A

RAIMUNDO PLATANIA

In Exequialia officia recitanda, juſtis de impedimentis non recitata

CATINÆ MDCCLXXXVII.

FRANCISCUS PASTORE EXCUDEBAT

PUBLICA AUCTORITATE.

1872

MORBUS omni peſte deteſtabilior, cui primum infeliciter ſubjiciendus eſſet humanus ſpiritus, quique ipſum hominem ad ultimam dementiam pertraxiſſet, nullum mihi dubium, quin fuerit ſuperbia, niſi opportuna funeſtiſſimo malo remedia ſua paterna bonitate DEUS OPTIMUS MAXIMUS oppoſuiſſet: morbus, qui ipſimet hominis naturæ, amplitudini, dignitati ſuam originem, incrementa, & calamitoſam perfectionem debuiſſet.

Digitized by Google

Quæ enim in homine ſuperbiæ incitamenta non fuiſſent, præclariſſima ſibi uni conceſſa ratio, qua præditus, ſe non modò, verùm extra ſe poſita contemplatur, qua præſentia cernit, præterita recordatur, & cum præteritis præſentia comparans de futuro judicat: Ille nullo termino circumſcriptus dominatus in reliqua terræ animantia, ex quorum parte carnes ad nutrimenta, ex parte lanas ad veſtimentum, ex his pellem ad ſuam defenſionem, ex illis plumas ad ornatum, ex aliis cantum ad voluptatem imperioſus depoſcit? Gemunt, homine jubente, ſub aratro boves, cameli ſub ponderibus anhelant, equi frænis, & curſibus damnati ſudant; ipſæ beſtiæ feroces, quæ nullo modo domari poſſe videbantur, poſita, qua licet, feritate, barbara homini præbere ſpectacula in barbaris amphitheatris coguntur: Sol, & Natura, quorum primum ſemper ad ſua

com-

commoda ſollicitum, ſemper in motu, ſemper in itinere, in agitatione videt; alteram ad coloranda floribus ejus prata, ad reddendas maturas in campo ariſtas, ad producendos in arbore fructus, ad gignenda in viſceribus terræ metalla aſſiduè laborantem: Urbes ſua manu inædificatæ, naves extructæ, quæ ſunt novum quoddam creationis genus; elementa ejus inſanis voluntatibus obſecundantia; ventus ejus imperio inſerviens; tempus ſua ei dividere momenta coactum; aſtra, quæ diligenter explorata ejus cenſuram non effugiunt; lux, quæ accuratè in ſuos diviſa colores ejus trutinæ ſubjicitur; fulmina ſuos oblita curſus ire juſſa, quà ab homine diriguntur, quibus facibus humanam ſuperbiam non inflammaſſent? Eò crederem hominem ſuperbiam protracturum, quò nec genius quidem rebellis quondam protrahere cogitavit. Deus verò ne hominem ſuperbia deli-

lirantem periturum, & majora quàm malus genius ſupplicia ſubiturum videret, funeſtiſſimo morbo congruentia remedia in calice mortis adhibuit. Deus Immortalis, quàm ſunt noſtris oculis impervia judicia tua! quàm mendaces filii hominum in ſtateris ſuis! Homo æxiſtimat mortem damnum ſibi non mediocre, cùm ſit apud te non mediocre ſalutis remedium: credit mortem ex tuæ juſtitiæ ſeveritate natam, cùm ſit potius profecta ex viſceribus tuæ paternæ bonitatis: videt in morte ſupplicium, & quæ in ſupplicio miſericordia contineatur, non videt: intuetur mortem velut horroris theatrum, cùm ſit lumen veritatis, ſchola ſapientiæ. In hac ſchola homo ſui cognitionem, omneſque illas virtutes adquirit, quæ a ſui cognitione, veluti ex uberrimo fonte, dimanant; brevi fiet manſuetus, beneficus, moderatus, ſocius, uno verbo Philoſophus.

Hoc

Hoc mutum, gelidumque cadaver nuper animo copulatum, noſter amor, noſtræ deliciæ, noſtra admiratio, nunc verò diviſum noſtra univerſalis mæſtitia, fletus, ſquallor, unumquemque docet, hunc planetam ad nos non pertinere: honores, valetudinem, dignitates, potentiam, divitias, quibus homo ſuperbire ſolet, non eſſe partem noſtri patrimonii: unam virtutem eſſe noſtram; in hac vera bona eſſe collocata; cætera nec bona eſſe, nec noſtra, ſed temporis, fortunæ, mortis.

Dicet fortaſſe aliquis, nos hic congregati ſumus noſtri magni Civis audituri præconium; omnia audiemus, præter id, cujus gratia congregati ſumus. Quæ præconia? quæ prædicatio? Nè de præconio mecum colloquamini, quædam animæ præter morem inſignes a prædicatione abhorrent; ipſæ ſibi ſunt præconium, ipſæ ſecum ferunt veram prædicatio-

nem,

nem; præconia, quæ rebus mediocribus lucem, & amplitudinem, rebus maximis, & pulcherrimis vereor ne potius noctem, ac detractionem afferant: Omnia a me petite, dempto præconio; in omnibus me tentate præter præconium; de omnibus verba facite extra præconium.

Verùm eſto, res non ita ſit. Qui poſſum non dicam in hac mei ingenii mediocritate, ſed tenuitate illum hominem extinctum celebrare, quem inter vivos omnium gentium linguæ, voces, litteræ, celebraverunt? De quo præterea ſatis prædicavit Neapolis, cùm ei difficiliora civium negotia ad publicam, & privatam utilitatem ſpectantia, commiſerit extricanda; eumque ſiculis inſtaurandis antiquitatis monumentis ſuprema auctoritate præfecerit? Satis prædicavit Italia, quæ eumdem vel repugnantem, vel adoleſcentem ſuis cultioribus

Aca-

Academiis adſciſcendum omni contentione putavit: ſatis Helvetii, & Batavi prædicaverunt qui illum non ſemel de veterum conſuetudine honorificentiſſimis litteris conſuluerunt: Satis prædicavit Gallia, quæ ejus nomine implevit illud inane, quod maximo litterariæ Reipublicæ mœrore reliquerat homo, cui parem in litteris Gallia anteacta non vidit, nec quæ ſequetur fortaſſe videbit; quique funebrem laudationem ab Rege Philoſopho jure ſibi meruerit; Satis prædicavit Anglia, quæ inter ſuos toto orbe conquiſitos antiquarios adoptavit; prædicavit Europa, quæ amicum fideliſſimum toties eum experta eſt, quoties offerebatur occaſio.

Quum verò quidam homines ampliſſimi ferant in ipſo nomine prædicationem, ſi ad texendum præconium hujus noſtri magni Civis vi impellerer ab ejus nomine non diſcederem. Satis dixiſſe videor, ſi dixero: IGNATIUS

PA-

PATERNO' CASTELLO PRINCEPS BISCARIS mortuus eſt; atque hoc novum præconii genus ſi univerſus orbis in me conjuratus oppugnaret; ego contra univerſum orbem defendendum omni ratione ſuſciperem. Vos Itali, vos Litterati Londinenſes in mea cauſſa appello defenſores. Vos in elogio magni Dryden, magni Torquati præter nomen nihil appoſuiſtis „ Hic Dryden, hic jacent oſſa Torquati„ ſatis viſum fuit vobis nomen ad excitandam poſt fata memoriam illorum hominum, qui ob ingenii ſplendorem, & ſcribendi elegantiam non Anglia, & Italia ſolum, verùm toto orbe claruerunt. Et cur nomen non fuerit ſatis funebri noſtri Civis laudationi, qui non minus, ac illi claruerunt, toto orbe claruit, & fortaſſe magis? Illi enim poeſis gloria tantum excelluerunt; hic verò & Poeta fuit non mediocris, & Orator optimus, Hiſtoricus verax, Criticus ſubtilis, Diſputator copioſus; in contemplanda natu-

ra diligentiſſimus, in Chronologia Magiſter, in antiquitate adeo peritus, ut non ſuos, ſed annos mundi, & vitam ſæculorum vixiſſe videatur. Sed ne vos tàm citò diſcedatis, & huc veniſſe pæniteat, vos oratione morabor, quæ potius ad veſtram gloriam, quàm ad ejus laudem pertineat; genus orationis vobis certè jucundum, mihi fortaſsè non laborioſum; De ejus ſingulari virtute, religione, dotibus tota oratione ſilebitur; ſolùm commemorabo ſudores nobiliſſimos, quos ipſe fudit, labores, quos ipſe pro patria, pro vobis ſuſcepit: hominem, non ut Plato ait, partim ſibi, partim patriæ, ſed totum, quantus quantus fuit, patriæ ſolúm natum, velut in papyro expreſſum videbitis: colores, quibus utar in hac pictura a ſancta veritate mutuabor; hodie non vox, aut lingua, ſed cor, & ſimplicitas tota oratione dominabuntur; de ſilentio vos non precor; ſatis enim

nim attentè me audiviſtis; precor verò, atque obteſtor, ut mihi non ex mea, ſed ex amicorum voluntate, quibus parere glorior, in periculum deſcendenti, ſi quid peccatum fuerit, ut revera fuerit, benigniſſimè condonetis; quam veniam ut mihi elargiamini, mea labefactata valetudo, tempora, ſenectus, ingenii tenuitas, occupationes, quibus diſtineor ad ſubſtinendam vitam vobis facilè ſuadebunt.

Et ne inſtar fulminis, ſed per ſuas periodos ad rem noſtram veniamus, pauca de hominum ſocietate me attingere patiamini: Societas, auditores præſtantiſſimi, non fuit opus a caſu, ut a caſu ſuas athomos fuiſſe Epicurus vix tribus Anticyris curandus auſus eſt docere, vel potius delirare: Eſt opus natum ex primis rationis humanæ conſiliis. Ratio, & Natura cúm voluiſſent homines in felicitate collocatos, ad hunc finem conſequendum

dum eosdem in unum corpus congregavit. Homo ſolitudinis eſt homo infelix, cùm ſolus ſatisfacere non poſſit iis comodis, quæ ad benè, beatèque vivendum conducunt. Homo ſocius; quantùm mortalis conditio ſinit, rationibus inverſis dici poteſt felix.

Omnes homines ſunt veluti magna Societas, magna domus, magna familia; provinciæ & regna ſunt quædam ſocietates minus amplæ, & extenſæ; quæque demum Civitas eſt ſocietas magis arcta, & limitibus circumſcripta quam provinciæ, & regna.

Omnes homines ſunt diligendi eadem charitate, tamquam ab eadem radice procreati, ferenteſque ejusdem Creatoris fronte impreſſam imaginem; Provinciales charitate magis extenſa, quia nobis propiores; Cives demum utpotè nobis proximi, quodam ardore, qui primam, & alteram charitatem excellat.

Hæc

Hæc tertia ſocietas ubi cadit ſub aſpectum Patriæ in homine Cive excitat tam vivum, tam extenſum, tam ardentem amorem, ut omnes limites prætereat, omnes difficultates ſuperet, omnia impedimenta frangat, ipſumque hominem cogit aggredi, & complere quædam egregia facinora, quæ ſine miraculo nullo modo compleri poſſe videbantur. Locus ipſe, in quo primos noſtros vagitus edidimus, quo prima hauſimus educationis præcepta, & primas didicimus litteras, ubi vivunt parentes, amici, propinqui, qui cineres ſervat noſtrorum majorum, qui alit noſtras fortunas, qui nobis promittit honores, civico amori tantam vim addit, quanta cogitatione potius concipi, quam verbis explicari poſſit. Huic amori tam fervido, tam vehementi, tam extenſo debet Græcia quatuor illas victorias, quas ad Termopilas, Salamina, Plateas, Maratona non

magna manu ex toto oriente in ſe conjurato reportavit. Huic Roma ſua portenta debet, Mutium flammarum, Cleliam fluminum, Horatium totius Etruriæ impetum ridentes, Decios ſeſe Diis manibus immolantes, Fabiorum familiam bellum maximum ſubſtinentem, Curtium in voraginem irruentem, Attilium ad barbaram Carthaginem redeuntem, omneſque illas victorias, quæ tot fuerunt, quot erant provinciæ, in quas eo tempore Mundus cognitus diviſus reperiebatur. Huic debent lapſa ætate Helvetii, & Batavi populi nec numero tum diſtincti, nec divitiis affluentes illos incredibiles animi conatus, quibus hoſtes potentiſſimos contuderunt, eoſque fractos ad ſuos redire Penates non ſine dedecore coegerunt.

Hic amor, ſeu potius vis, & ſpiritus amoris licet in Rebuspublicis, ubi natus fuit, ſo-

let

let eſſe ferventior, tamen nihil adverſante dulciſſima ſervitute, cui & ratio, & melior noſtrarum rerum conditio ſubjectos nos eſſe voluit, in *Monarchiis* aliquando triumphat. Hic ſanctus ignis, hic ſacer ardor, hic cæleſtis penè impetus amoris fuit dos, quæ prima inter egregias IGNATII dotes, quantum tenerrima ejus ætas patiebatur, enituit. Pulchrum ſanè erat ſpectaculum videre puerum penè potius infantem, qui nondum per ætatem certa premeret veſtigia, nec quid eſſet Patria ſcire poterat, ſolùm de Patria loqui, de Patria quærere, de Patria percontari; oblitum penitus ludorum, qui illis annis impunè conceduntur, pendere a labiis eorum, qui Patriæ vel fabulas enarrarent, donare alios munuſculis, qui cum illo de Patria loquuturos promitterent, ſupplente annorum imbecillitatem illa in Patriam divina propenſio-

ſione, quæ quin ab eo cognoſceretur, una, & Patriæ, & ſibi viam ſternebat ad immortalitatem ſuo tempore conſequendam. Et quemadmodum olim Carolus Svedorum Rex XII. illo ingenio vel infans actus, quod magnos Imperatores efficit, præter Alexandri Macedonis geſta nihil audire cupiebat; ita noſter ampliſſimus extra Patriam nullo alio ſermone delectabatur. Alexander in Caroli mente, corde, ore; Patria in IGNATII ore, corde, mente verſabatur; Alexander illius vigilias, & ſomnia; Patria hujus ſomnia, & vigilias occupabat.

Et jam IGNATIUS pueritiam ingreditur. Senſus explicari, ideæ clarere paullatim incipiunt. Inter ſenſus mediocriter extricatos, & ideas claras jam factas naturalis in Patriam propenſio capit incrementa; nequit ſe explere legendis, & relegendis libellis, quos de Ca-

tinenſi

tinenſi antiquitate, & excellentia homines navi diligentiſſimè conſcripſerunt; ubicumque inquirit quidquid fortè inventum redolens vetuſtatem; numiſma creta incruſtatum, vaſculum ætate corroſum, urnæ ſepulchralis fruſtulum tanta puerum lætitia afficiebant, quanta mercator Indus cùm gemmam diu perquiſitam inveniſſet, fortè non afficiebatur; nec ea diligentia Veſtales ignem ſanctum, Numa ſua ancilia; Trojani ſuum venerabile Palladium, qua ille prætioſas reliquias cuſtodiebat, quæ eò magis æſtimabantur, quo erant magis temporis injuria labefactatæ; in illa enim pulcherrima deformitate veritatis teſtimonia cognoſcebat; atque hoc fuit initium illius *Muſei*, cujus poſtea ad inviſendas divitias ex ultima Europa literatiſſimi homines Catinam, non ſine Catinæ gloria, & ornamento concurrerunt. Nec quæ dixi

teme-

LECTORI MONITUM

HÆC funebris Laudatio venit in lucem poſtquam pluries repugnaſſem; nec mea repugnantia reprehendenda; videbam enim meas ſive ineptias, ſive orationem ex uno in alium ſermonem tranſlatam particulam nativæ venuſtatis, ſi quam habebat, penitus amiſiſſe, & mihi opprobrio potiùs, quam decori futuram. Repugnavi quantum potui, ſed fruſtra; cedendum mihi fuit meis temporibus. de his te moneo, bone Lector, ut vel amicus es, & habeas unde me excuſes, atque defendas; aut inimicus, & tibi non deſint argumenta, unde fias minus in judicando ſeverus.

Digitized by Google

temerè dixi, & ſine auctoritate Homo, fide, religione, ſanctitate præſtantiſſimus, qui linguam ab ore evulſam, quàm execrando aſſentationis, & mendacii veneno illitam potius videre maluiſſet, Joſeph David, quem vos cognoviſtis, mihi enarrare conſueverat; Nec ea ab alio audivit, ſed ipſe vidit; non vidit ſolum, ſed interfuit, egitque; cúm ipſe partem rerum antiquarum, de quibus paulo ante commemoravi, ut pueri votis obſecundaret unde unde potuiſſet habendam, non ſine diligentia curaviſſet.

Ad alia tranſeamus. Vidiſtis infantem, vidiſtis puerum, nunc adoleſcentem videte. Ipſa naturalis proclivitas in Patriam tacitè eum monebat, ſine litteris non poſſe tantùm Patriæ prodeſſe, quantúm cum litteris profuturus eſſet; admodum rarus civis, qui Patriæ ſine litteris fuerit adjumento. Flagrat amore litterarum

B Ca-

Carolinum Borbonicum paulò ante Panormi ſub optimis magiſtris, & moderatoribus inſtitutum ad obliterandam, & penitus extinguendam ſæculi XVII. in ſcribendo barbariem, cumulatè ejus voto reſpondet, eo felici progreſſu, ut quoties nobiliſſimus adoleſcens de ſuo ingenio publicum facere periculum debuiſſet, toties Seminarii aula non eſſet capax tantæ multitudinis, quantam inſolitus de eo rumor convocaverat. Quod autem majori admiratione omnes afficiebat, erat eum videre æqualiter in omnibus diſciplinis, quæ ad humanitatem pertinebant, magiſtrum, ſenem, perfectum; Cùm poſſit jure de noſtro magno Cive prædicari circa diſciplinas humaniores, quod de Trajano circa animi virtutes a Plinio juniore fuerat prædicatum: Ille ad Cæſarem converſa oratione, nemini, inquit, uſque ad hunc diem contigiſſe, ut omnes in gradu ſummo virtutes comple-

ple-

pleſteretur. Qui in una fuit princeps, talis in altera certè non fuit. Tibi uni omnes omni ſua extenſione virtutes comprehendiſſe contigit. Ego verò ad IGNATIUM converſus ita: IGNATI uſque adhuc non legimus adoleſcentem in omnibus diſciplinis dominari. Qui in poëſi excelluit, in ſoluta oratione fuit mediocris; qui Geogrophiam calluit, Numiſmaticam ignoravit; in faſtis novorum temporum alius enituit; verúm in antiquitate penitus peregrinus. Hoc novum decus, hæc incredibilis laus, hoc inſolitum ornamentum tibi uni, Civis optime, ſervabatur. Tu unus gloriari potes, omnia hæc diſciplinarum genera in te mirabili brevitate coarctaſſe, quamquam non gloriatus es, ſed omnem gloriam in Deum retuliſti, a quo, tamquam ex uberrimo fonte, omnia lumina in tuam mentem, animumque ſine intermiſſione dimanarunt.

Sed video, auditores optimi, me aliquantulum ab argumento orationis meæ deflexiſſe. Quæ paulo ante dixi ad IGNATIUM pertinent; ad orationem non pertinent, & ſi pertinent, directò non pertinent. Scio, fateor, aberravi; ne me ſeverè nimium condemnetis. Adverſus reum ſine quæſtione delictum confitentem non eſt tàm aſpera ferenda ſententia. Meæ orationis partes erant, eum vobis oſtendere plenum cognitionum, plenum ſcientiarum, verè, & cumulatè Philoſophum ad Patriam redeuntem, & jacere fundamenta illius Academiæ meditantem, quæ tantam mutationem Litterariæ Reipublicæ allatura eſſet; quantam vos niſi oculis videbitis, certe credere non poteſtis. Ut verò meliori lumine cognoſcatis, quam civi optimo gratiam debeatis, accipite brevi, qualis erat infelix litterarum ſtatus, quem nec ego ſine lacrimis vobis exponere, nec vos ſine afflitione audire poteſtis.

Barbaries, ſeú nubes horroris; quæ in Italia, & Sìcilia ſcribendi nitorem deformaverat, quæque paullatim ab ipſa Italia excuſſa receſſerat, adhuc noſtrum, quemadmodum reliquæ pene Siciliæ, cælum obumbrabat. Metaphoræ metaphoris aggeſtæ; enigmata ineſtricabilia; allegoriæ tenebricoſæ; ſimilitudines nimiæ, & extra tempus; amplificationes æternæ, & non congruentes; verba ſexquipedalia, & tumentia; ſine pondere, cathacreſes, metalepſes, metaciſmus, metabaſis, metaplaſmus ſine ordine, & numero venuſtatem & calamitoſiſſimam ſtyli elegantiam efficiebant. Egomet in hoc luctuoſo theatro explevi partes meas; excellui, luxuriavi, potiùs ineptii, & deliravi. Me miſerum, ſi aliquando, neſcio quo bono genio monitus, metaphoras oblitus iter ſimplicitatis ingrediebar, quas reprehenſiones aſperrimas non me audire opus

erat

erat ex labiis ira inflammatis mei ſeveriſſimi Præceptoris. Illos me conſulere libros ſæpe oportebat execrandi ſæculi peſte corruptos; apparare mihi infeliciſſimam metaphorarum ſegetem, quibus uterer in ſcribendo, ut mea elucubrata oratio aliquam ſibi laudem mereretur. Libri verò aurei erant in ea deteſtatione, ut potius cui Alcoranum legeret parceretur, quàm alii, qui in manibus haberet divina Torquati, aut Arioſti opera. Ego ego ipſe hiſce oculis vidi comburi Taſſum, qui erat congerro, & deliciæ domini ſui; & ſimul audivi vocem, quæ fuit vox tempeſtatis, cujuſdam barbari Radamanti pro tribunali dicentis, unà cum libro ſacrilego ſacrilegum etiam lectorem manu carnificis eſſe comburendum. O tempora! o noctem! o infelicitatem! o caliginem!

Hic

Hic erat infelix Reipublicæ litterariæ ſtatus, in qua, paucis exceptis, omnes eadem nocte premebamur. Adoleſcens nobiliſſimus renovandarum litterarum magnum opus aggreditur, & ea parte Patriam adjuvandi, qua maxime laborabat. Juvenes, quos potuit, ingenio præſtantes in unum corpus colligit; Domum ſuam in litterariam Academiam vertit, & eruditiſſima recitata oratione omnes ad ſtudia litterarum cohortatus eſt, tanta lætitia & plauſu, quantùm nec domus, nec Urbis parietes capere potuerunt; Id ſatis fuit, ut novum corpus ad litterarum ſtudia inflammaretur; Corallia, Conchylia, metalla, Uulcani extincti, Uulcani recentes, numiſmata fuerunt primæ novi conventus exercitationes; nec tàm citò fulminis ignis toti cælo, quàm novus ſtudiorum ardor toti civitati comunicatur, fit ſubita, & portento ſimilis, commuta-

tio.

tio. Hic libros XVII. ſæculi peſte infectos concremat; ille tempora ſub peſſimis magiſtris exacta execratur; alius ſua ſtudia deplorat, ubicumque, opera, quæ Medicea ſæcula illuſtrarunt, quæruntur; ubicumque verſantur, ubicumque leguntur; poeſis amor, qui primum eſt ad reliqua ſtudia incitamentum, ubique fervet; carmina ubique recitantur, tempora Steſicori redeunt; Etna, Simetus, Amananus poetarum voci reſpondent; omnes vero certatim Æterno de magni Civis reditu gratias, quas majores poſſunt, agunt, omnes de tanto cæli munere viciſſim gratulantur; omnes de litterarum inſtauratione gaudent; omnes preces fundunt, ut diutiſſimè incolumis ſervetur Civis, qui pro Civium gloria tantum laborum ſuſceperat; notandumque putant marmore diem, qui feliciſſimæ mutationis fuit initium. EGNATIUS omnium animos implet, EGNATIUS corda

omni-

omnium occupat, EGNATIUS ore omnium replicatur.

Hæc felix mutatio quam aliam non minus felicem mutationem attulerit nolo in oratione ponere. Vos autem conjectura facile perſpicietis. Vos enim non latet ſæcula ignorantiæ eſſe ea, quibus homo ſua officia neſcire ſolet, quæ dum obſervantur, homini ad quam natus eſt, felicitatem pariunt; ſæcula litteris diſtincta, oppoſitis rationibus populorum etiam felicitate diſtinguntur. Cor hominis eſt in homine veluti ſolium erectum ſemper a vacuo abhorrens, aut vitio ignorantia, aut virtute litteris triumphantibus neceſſario occupandum. Hæc omnia prætereunda cenſui, ne longior eſſem, aut moleſtior; tantum ſinite me meam orationem convertere ad illos homines immortales, qui inter vivos academiarum fundamenta jecerunt, atque ità illos momento temporis affari: Animæ egre-

giæ, ſi ad noſtra ſæcula vobis redire permiſſum, quæ vos admiratio non caperet videntes IGNATIUM primo adoleſcentiæ flore, facile, brevi ad perfectionem illorum operum perveniſſe, ad quam vos magnis cum ſudoribus, longiſſimis periodis vix extrema ſenectute pervenire potuiſtis?

Verúm ut novæ Academiæ, de rebus ad ſcribendum maximis conſuleret, *Muſeum*, cujus fundamenta jecerat, perficere meditatur; quod nullo modo fieri potuiſſet, niſi prius ipſe extra regnum, & monumenta antiquitatis, & pulchriores Naturæ partus, quæ ſunt muſeorum divitiæ conquiſiviſſet. Didicerat præterea, homines penè omnes, vel Patriæ, vel Mundi utilitati natos, ut eſſent aut uni, aut alteri magis utiles, peregrinationes ſuſcepiſſe. Non una ex ratione commotus peregrinari tota Italia conſtituit. Totus hic, aud. opt.,

quem

quem incolimus, planeta eſt veluti quoddam ingens volumen ad noſtram doctrinam Naturæ digitis ſcriptum. Non inficior, hominem patria incluſum ſuo ſtudio poſſe multa ex hoc volumine diſcere; ſed longè plura, & majora ex eodem volumine diſcere poſſe ſuis itineribus viatorem affirmo, & contendo. Alia phænomena conſideranda, alia paradoxa enodanda, alias novitates obſervandas, peregrino Mundus, quam Philoſopho ſua bibliotheca proponit; atque auſim dicere plus uno die cognitionum acquiſiviſſe viatorem, quam ſapientem quadraginta annos domi incluſum, in qua extabuit, & conſenuit; ipſaque experientia nos docet, plurimos ignaros rerum omnium & infæcundos e Patria diſcedere, & peritos rerum omnium & eloquentiſſimos ad Patriam rediiſſe.

Mos

Mos iter faciundi, & cultioribus terræ regionibus peregrinandi nimium vetuſtus apud Græcos. Aureum Odiſſeæ volumen non foret tàm vivis coloribus expreſſum, niſi Homerus meliores in peregrinationibus annos conſumpſiſſet. Plato, Ariſtotiles, Pitagoras, antequam Philoſophi, peregrini fuerunt: Ligurgus & Solon ex Egipto ſuarum legum codicem in Græciam contulerunt. Romani in Græciam navigabant, ibique libentiſſimè peregrinabantur, ut avidè arriperent a Græcis, quæ illi ab aliis nationibus avidè etiam in ſuis itineribus arripuerant. Lapſis verò temporibus litteratus homo non fuit, qui prius iter faciendo ex Natura, ex Mundo, ex nationibus, ex hominibus res pulcherrimas, quibus ſuas bibliothecas ornaret, non didicerit. Carteſius, Leibnitius, Nevvtonus, Galileus, innumerique alii, quos ſi commemorare vellem, dies, & carta deficerent.

In Italiam ergo contendit, illam Mundi partem, quæ olim in ſuo Mundo totum Mundum complexa eſt; & nunc, licet pluries a Barbaris, & non barbaris depopulata & incenſa, majorem partem adhuc ſervat veteris majeſtatis. Hic ego, quas cognitionum varietates acquiſiverit; quæ monumenta antiquitatis, quos egregios Naturæ partus, quot ſtatuas, quot numiſmata ad Muſei perfectionem collegerit dicerem, ſi dicenda majora non eſſent.

In Italia magnus Civis, natus Patriæ gloriæ, remotus a Patria Patriam illuſtrabat. Et ſanè quàm fuit Catinæ glorioſum eſſe in Italia Civem, qui omnia loca, quæ adibat, montes, fluvios, nemora, Urbes, littora, maria ſuis veteribus, recentibuſque nominibus diſtinguebat; narrare ubicumque diverſabatur victorias ab illis populis relatas; commemorare ſivè lætos, ſivè triſtes eventus, qui illarum gen-

tium

tium ſive lætum, ſive triſte ſæculum notaverunt. Hæc autem omnia tanta felicitate exponere, ut ea ſolum callere, & in his locis natus eſſe videretur; eumdem vocatum ad extinguenda litigia quædam inter litteratos homines de litteris accenſa, & vetuſtate roborata paucis verbis, atque una ſententia feliciter extinxiſſe, eumdem magna ſapientiſſimorum hominum adſtante frequentia de veritate quorumdam numiſmatum, quæ veriſſima habebantur, interrogatum, nulla mora germana ab adulterinis digito ſecernere, digito inquam, qui videbatur index veritatis, & ſeveriſſimus mendacii judex, non ſine admiratione eorum, qui in iliis diſciplinis inſenuerant; eumdem ad eos æxiſtimationis gradus, licet exterum, licet adoleſcentem, perveniſſe; ut duo ſapientiſſimi homines ſua opera diu multo ingenio atque induſtria elaboratæ, in lucem jam, jam

edi-

edituri, numquam edituros, niſi ejus nomine decorata, munitaque cenſuerint. Quám fuit, quàm fuit, iterum, atque iterum dicam, talem in Italia Civem verſari, quàm fuit Catinæ & Patriæ glorioſum! Utinam tantum poſſem voce contendere, quantum me non ultimæ ſolum terræ, & maria, verum, ſiqui præter hunc noſtrum Orbem alii ſunt Orbes toto Cælo diſperſi, me exaudiant exclamantem: O res portento ſimiles, o Patriam felicem, quæ talem tibi civem peperiſti; o ſæculum beatum, cui tanto homine frui contigit; o Naturam plene contentam, quæ uno partu, poſt longos annorum labores edito tàm bene Patriæ, ſæculo, mundi commodis, & tuæ etiam gloriæ conſuluiſti.

Sed tempus nimium citò dilapſum non ſinit amplius in Italia me verſari, jubetque ſimul majora fortaſſe de Cive optimo conti-

ce-

ceſcere. Vale pulcherrima Italia, Mater Heroum, nutrix litterarum, antiquitatum ſervatrix, Europæ deliciæ, invitus ex te diſcedo; valeto pulcherrima Italia; mei ampliſſimi Civis in tuis faſtis conſervato memoriam.

In Siciliam redit omnibus numeris abſolutus, & ad unguem Philoſophus, ingenti doctrinarum, & cognitionum ſupellectile ditatus, quas omnes primum colleghis, deinde civibus mira celeritate communicat. Academia, quæ ejus abſentia aliquantulum conquieverat, ſuo adventu incaleſcit; Guſtus litterarum amplificatur; Poeſis capit altiores volatus; cultiori ſtylo ſoluta oratio conficitur; græca lingua delectat; mathematicæ diſciplinæ arridere incipiunt; hiſtoriæ avide leguntur; antiquitas libentiſſimè peragratur; Philoſophia veterem ſquallorem deponit; Peripati dominatus vacillat; Carteſius, & Gaſſendus ſua claſſi-

riſſima vexilla extollunt. Nec vero novæ Academiæ ſatis eſt aliarum gentium ſcriptis atque theſauris illuſtrari, & locupletari, ſed amat ſuis ſcriptis, & patrimoniis, ut aliæ gentes locupletentur, atque illuſtrentur. Ingenia inveniendo torquentur, manus ſcribendo fatigantur, præla imprimendo ſudant, poſterorum memoria quæritur, ad immortalitatem aſpiratur. Fuerunt inter membra hujus litteratiſſimi corporis, qui de legibus ſcripſerant, codiceſque effecerunt veteri depulſa ambiguitate nitidiſſimos. Fuit, qui medicinam illuſtravit, & ad firmiora ſyſtemata redegit; hic patriæ hiſtoriam pura latinitate contexuit; ille noſtræ ſanctæ religionis præcepta, vulgo *Catheckiſmum Romanum* Sanctorum Patrum auctoritate confirmavit; alius magna litigia inter Catinenſes, & Panormitanos accenſa de Patria noſtræ invictiſſimæ Civis, Patronæ, &

vindicis Agathæ egregio volumine terminavit; nec defuerunt, qui latinis carminibus quorumdam perditorum hominum in ſcribendo licentiam compreſſerunt; nec qui ad examen vocatis Ætnei montis viſceribus cognitiones eruditiſſimas poſterorum memoriæ reliquerunt. Omitto opuſcula, poemata, omnis generis orationes, quæ ſi in unum corpus, ut bona conſilia volebant, collecta eſſent, hodie Patria magno pulcherrimarum rerum volumine jure æquiſſimo gloriaretur. Si magna licet parvis conferre, hic Catinæ litteræ illam felicitatem viderunt, quam olim Romæ Auguſto, Florentiæ Medicis, in Gallia Ludovico XIV., in Anglia Eliſabetta, et noſtris diebus Petroburgi Catherina, Berolini Rege Philoſopho, Vindibonæ Cæſare Philoſopho, & theologo imperantibus. Quæ lux, quæ mens, quod ingenium in uno homine adoleſcen-

te

te, a quo tot, tantæque mutationes tam brevi periodo fieri potuerunt! Deus immortalis! quis negare audebit, te ſic aliquando homini communicari, ut homo a ſua conditione recedere, & tu oculis noſtris inpenetrabilis, per homines nobis manifeſtari quodammodo videaris?

De prima circa litteras mutatione ſatis & pluſquam ſatis fortaſſe audiviſtis; nunc de Urbis mutatione circa pulchritudinem audiatis oportet. Catinam fuiſſe inter Græcas Siciliæ Urbem pulcherrimam, & non vulgaris æxiſtimationis ille dubitare poteſt, qui in antiquitate eſt planè novus, & peregrinus. Pindarus, Tucidides, Tullius non ſine laude de ea loquuntur. Athenienſes, qui huc venerunt ad ineunda cum noſtris patribus fœdera, Agrigentini, Leontinenſes, aliæque Civitates, quæ aut per legatos, aut per litteras opem, &

conſilium a majoribus petiverunt; Romani, qui patres noſtros deprecati ſunt, ut in obſidione ſyracuſana eoſdem adjuvarent, ſunt quædam validiſſima teſtimonia Catinenſis nobilitatis; mediis verò temporibus id Saraceni ſuis monumentis confirmarunt. Hi enim poſteritati ſcriptum Arabum notis reliquerunt, tantum ſudoris & laborum ſibi non ſtetiſſe Siciliam, quam ſola Catina ſtetit, ejus mænia, & propugnacula munitiſſima, Cives nimium multos, & frequentes, eoſdemque fortiſſimos, & locupletiſſimos, quos ad deditionem ſola fames, & bonæ propoſitæ conditiones hortari & ſuadere potuerunt; quæ laus utpotè veniens ex ore ipſius hoſtis ſuſpicione falſitatis caret. Verùm deteſtanda Suevorum immanitas, Ætnæ rabies, horribiles terræ motus ità eam deformaverunt, ut Catina fruſtra Catinæ quæreretur; erat ſimilis Reginæ e ſolio deturbatæ,

tæ, cui vultu, & fronte ſcriptæ cordis tantum afflictiones legebantur. Ipſa monumenta, & reliquiæ veteris majeſtatis vel terra obrutæ, vel æterneis ſepultæ ruinis nec ſaxum quidem oſtendebant, ubi ſcribi poſſet, Hic olim Theatrum, hic Hippodromus, Marcelli arcus, Naumachia, Amphiteatrum, hic templa, hic gymnaſia fuerunt. Infelix noſtrarum rerum conditio, quibus in eodem ſtatu permanere negatum! Civis maximus ad renovandam, ornandamque Urbem omne ſtudium, curas, diligentiamque convertit; opus certè primo majus; illud enim præter ſtudium & laborem nihil, hoc ſtudium, laborem, impenſas maximas, ingentemque pecuniam requiſivit. Nunc verò a quo mutuabor tantùm verborum flumen, tàm rapidum, tàm vehemens, ut poſſim tot res tàm magnas, tàm multas, tàm varias, tàm diverſis locis poſitas, tàm ab an-

no-

norum rabie labefactatas brevi periodo amplecti, comprehendere, coarctare, tantoſque amores in Civem optimum excitare apud eos qui audient, ac apud illos, qui viderant, excitati fuerunt? Me miſerum! hàc tempus tacere, illàc rerum dicendarum abundantia me loqui cogunt; vult tempus me aſſignata orationi momenta non prætergredi; me ultrà orationem extendere volunt res pulcherrimæ; ſua jura res; ſua jura tempus repoſcit; aut uni, aut alteris ſatisfacere vellem; ſed uni non debeo, alteris non poſſum; ſi tempori obediam, qualis erit oratio mea ſuis denudata theſauris? ſi rebus, a qua aggrediar, ſi omnes ſunt maximæ, ſummæ, pulcherrimæ? & in quam terminabo ſi penè ſunt infinitæ? Quid faciam ignoro, quid ſequi debeam neſcio, quem conſulam non video. Ab hoc loco tam ſcopuloſo me expediam ſi aliis relinquam

quam

quam tàm immenſam dicendi ſegetem. Dicant alii unius aut opera, aut conſilio, aut hortatibus vias complanari, nova itinera, & longiora, & ampliora duci, aditus publicos ornari, ſtatuas erigi, moles ſurgere, theatrum inædificari; Catinam uno verbo ſquallorem deponere, ad ſuam dignitatem redire, penitus renovari. Dicent alii unius opera, labore, & graviſſimis impendiis magis abditæ antiquitatis monumenta ex nocte, & pulvere ad lucem, proſpectumque omnium venire, eamdemque in præſentibus excitare admirationem, quam in præteritis, & civibus, & exteris quondam excitaverunt; illa vero, quæ, aut novorum ædificiorum mole obruta, vel ætneis ſepulta illuvionibus diem videre non potuerunt, quantum fas locum, ubi ſita fuerant, ac limites, quibus definiebantur, oſtendere; unius curis, & beneficiis dandum poſſe

nunc

nunc dici, hic piorum fratrum, hic Steſicori tumulus, hic Vulcani, hic Cereris, hic Matris Cibelis templum fuit, hoc ſpatio naves pugnabant, illo equi currebant, hoc juventus in armis exercebatur; Verùm inter has narrationes rapidiſſimas ne obliviſcantur ipſum noſtrum amantiſſimum Civem ad vivum exponere nobili pulvere immundum, pulchro ſudore madidum, Gloria, & bonis geniis Urbis patronis comitibus, a primo ſole uſque ad primam noctem ſollicitum mercenariis adſtantem, nec Canis rabiem, nec Urſæ frigora metuentem, omnia ſalutis, & vitæ pericula contemnentem, magnam vim auri, atque argenti profundentem, ſeque ipſum denique tamquam victimam Patriæ Honori, & Gloriæ immolantem; Nec contentum Civem optimum Urbem ad primam revocaſſe dignitatem, memorias antiquitatis e pulvere exci-

taſſe

taſſe, quatuor uno penè tempore vel opera, vel ædificia aggredi, quæ priſcis ſi adhuc ſtarent, imminuerent pulchritudinem, & majeſtatem; & patribus noſtris ſi adeſſent, forent non mediocris triſtitiæ cauſſa, cùm viderent ſe conjunctis viribus, & opibus ad eam ædificiorum gloriam pervenire non potuiſſe, ad quam noſter Civis optimus privatis ſumptibus felicitèr pervenit; Illum pontem commemorent, qui vel papyro adumbratus oculos ſatiare non poteſt, quem ſæpe viatores viſendum putaverunt, antequam noſtri montis phænomena contemplarentur; Silvam, quàm vulgus nulla, maxima Philoſophus admiratione intuetur; Locus ille, quem Ætna ferventior ſuis undique alluvionibus deformaverat, quem aſpicere ſine horrore, in quo ambulare ſine periculo non poteramus, nunc commoda offert itinera, ſentit aratrum, dat

flo-

flores, dat erbas, dat arbores, ſuo vere, ſuo autumno gloriatur; Muſeum denique illud in quo Natura videtur aut IGNATIO credidiſſe ſuos pulchriores partus, aut in his ſedibus voluiſſe ſe reſtringere; & tempus, quod omnia mendaciis complet, & caligine, invitum fortaſſe ſuorum ſæculorum inibi veritatem conſervare.

Quod ſi alicui videbitur nimium vos de Patriæ excellentia dixiſſe, ità reſpondere nè pudeat. Legimus in veteribus monumentis Catinam fuiſſe Urbem præſtantiſſimam; at ex ultimis regionibus gentes lectas ejus tantùm præſtantiam, & pulchritudinem admiraturas veniſſe non legimus; venerunt Athenienſes, verùm ad expoſcendam patrum noſtrorum amicitiam; venerunt legati nobiliſſimi multarum Siciliæ Civitatum, verùm ad efflagitandas opes, & conſilium; venerunt item Ro-

ma-

mani, ſed, ut ſcitis, ad quærenda contra Syracuſanos auxilia; venit Plato, ſed a Catinenſibus enixius exoratus; venit Timoleon, ſolum ad exturbandam tyrannidem; temporibus mediis venere Reges, Reginæ, Principes, at quiſque ſuis temporibus adſtrictus; nemo eorum venit Urbis tantum præſtantiam, & pulchritudinem admiraturus; noſtris verò diebus huc veniunt ſæpe gentes potentia, ſanguine, litteris diſtinctiſſimæ ex ultima Suecia, ex gelida Scotia, ex Batavia, ex omni Europa non alio permoti incitamento, niſi ut videant Urbis magnificentiam, pulchritudinem, majeſtatem, præſertim illud Muſeum, quo allecti viatores nobiliſſimi, labores maximos, difficillima itinera, maris, terræque pericula contemnenda cenſuerunt. Hæc alii; ego verò ad opera ingenii dilabor, quæ eo ſunt nobiliora, quo ſpiritus eſt corpore nobilior. Ho-

mi-

minem ſapientiſſimum non latebat bono Civi non labore ſolum corporis; & impenſis, verum etiam mente, ſtudio, ingenio, Patriæ gloriam promovendam; nèc ignorabat doctos homines, qui in Patria, & fortaſſe non de Patria ſcripſerunt, Patriæ gloriæ plurimum conſuluiſſe. Hoc etiam officium magnus Civis cumulatè explevit. Teſtes ſunt nitidiſſimum poema, quo adoleſcens potius puer invictiſſimi Caroli Borbonici victoriam ab hoſte non contemnendo Velletri relatam celebravit; & illa puriſſima anacreontica, quibus penè ſenex ultimi terræmotus funeſtiſſimam depinxit calamitatem; teſtes varia opuſcula mole quidem parva, ſed labore, & doctrina maxima, in quorum primo de Geniis Urbis patronis, & ſtatu noſtræ Civitatis regnantibus Conſtantini Filiis ſcripſit; in altero de vaſculorum murrinorum compoſitione fert dignam multa

lau-

laude ſententiam ; in tertio puerilium compendiorum occaſione totam antiquitatem peragravit ; teſtes itinera per Siciliam , quæ avidè quæruntur, et magna cum voluptate ab omnibus leguntur ; teſtes demum illa volumina , in quibus de rebus præcipuis ad Muſeum pertinentibus diligentiſſimè inquirit ; ibi fabulæ ſuam originem , errores ſua incrementa , hiſtoria ſuam veritatem, phænomena ſuam enodationem, tempora ſuum ordinem nulla obſcuritate cognoſcunt ; volumina , quæ ubi in manus hominum venerint , ſeſe homines explere non poterunt oſculando , et iterum oſculando ſudores illius frontis , quæ tantùm ab humanarum rerum conditione receſſit .

Quæ verò his libris afferat, et Patriæ, et Siciliæ ornamenta breviter exponerem , niſi cogerer quibuſdam reſpondere , qui ità meam orationem detrectant : recitaſti , inquiunt , ſed

ine-

ineptè recitaſti; quæ recitaſti, limites rerum caducarum non excedunt, et caduca ad EGNATIUM non pertinent. Omnia caduca EGNATIUS moriens depoſuit; quæ ad illum pertinent ſunt virtutes; virtus ad Cœlum iter aperuit, virtus cum illo commoratur, virtus eum in æterna ſæcula proſperabit. De ejus virtutibus loqui prius, prius EGNATIUM nobis *Chriſtianum*, deinde Civem, Philoſophum, beneficum oſtendere debuiſſes. Qui potuiſti illam manſuetudinem prætermittere, et animi facilitatem, quæ in eo tanta fuit, quantam in aliis non vidimus, aut legimus, et non tàm facilè credet poſteritas; incredibilem charitatem, quam etiam erga inimicos extendebat, cùm non ſolum iis facilè parceret, verùm, ubi dabatur occaſio, beneficiis cumularet; inauditam erga pauperes liberalitatem, qua plures familiæ ſecreto ale-

ban-

bantur, cùm putaret illam pecuniam benè collocatam, quæ egenorum manibus in æternis ærariis ſervabatur? Qui potuiſti conticeſcere de ſingulari erga Deum pietate, erga animæ ſalutem cura? Nullus fuit dies tàm negotijs implicitus, qui eum vetuit, quominus ſacris adeſſet, nulla ſivè Redemptoris, ſivè Deiparæ, ſivè Apoſtolorum ſollemnia, quibus ille animam culparum confeſſione non expiaverit, diviniſque epulis ſpiritum non recreaverit; nullæ publicæ conciones ad animarum ſalutem ſpectantes, quas ille non audivit; nulla tempore jejunii ſine libra parata cœna. Quid plura? sì vellemus omnes ejus virtutes commemorare, nèc vox, nèc lingua, nèc vires, nèc latera reſiſterent. Audiviſtis homines nobiliſſimi? Jure de me queri videntur, jure me reprehendere, jure me exprobare. Quid mihi reſpondendum veſtrum conſilium

ſta-

flagito. Sèd vos certè idem ſentitis, quod ego ſentio. Peccaſſe ingenuè confitebor; veniam ſupplicitèr flagitabo, totam defenſionem ad miſericordiam convertam, meque pænè ſacramento devinciam; ubi primum aliquid otii nactus fuero, tantùm de ejus virtutibus orationem habiturum, qua fortaſſe audita, vos mea mihi peccata remiſiſſe non pœnitebit.

Sèd tempus ad dicendum mihi permiſſum jàm præteriit; contrahenda vela, et quærendus orationi finis; verùm antequam terminetur actus, pauca mihi momenta, quibus ita Patriam affari, et quodammodo cum ea gloriari liceat. Catina, Patria mihi cariſſima regiis te indue veſtibus, cinge frontem gemmis, et auro; non es, ut eras, Urbs oſcura, et neglecta; tuæ vetuſtæ amplitudinis monumenta ad lucem redeunt; litteræ in tuis Academiis triumphant; ædificia, templa, moles; cujuſ-

cum-

cumque te videt, excitant admirationem; tuus mons antea Cyclopum habitatione horridus, nunc Philoſophorum meditationibus claret; tua maria externis navibus occupantur; tuæ viæ novis ſemper linguis reſonant; tuæ antiquitatis reliquiæ pennicillis delineatæ magiſtris, noſtræ ætatis architectis ad imitationem proponuntur, tuum nomen antea in Sicilia notum, per maria; per terras remotiſſimas it ſuperbum; Catina Patria, mihi cariſſima, regiis te indue veſtibus, cinge frontem gemmis, & auro.

Jam ventum ad finem. Homo ampliſſimus, quem puerum amore in Patriam flagrantem præter conſuetudinem vidiſtis, qui adoleſcens primus hic Catinæ litterarum ardorem excitavit, & in Italia jucundam, & diuturnam ſui nominis memoriam reliquit, cujus opera, & pecunia hæc urbs ad priſtinam rediit majeſtatem, quem cultiores Europæ Academiæ ſocium volue-

runt,quem,ut cognoſcerent non pauci litteratiſſimi Catinam venerunt, qui tantum ſcivit, quantum homo ſcire poteſt, de tot rebus diſputavit, quot ſunt res, quæ in diſputationem cadunt, tot libros ſcripſit, quot ſeſe ſcribendi occaſiones obtulerunt; homo hominum commodis natus, amor Patriæ, amor Siciliæ, amor exterarum gentium, verus Civis, verus Ppiloſophus, verus Chriſtianus, dùm Patria, & Regnum de eo majorem ſpem conceperant, dúm Neapolis eum in ſuis oculis habere cogitaverat, dùm Cives ob ejus incolumitatem majora vota fundebant, præter omnium non dico expectationem, ſed ne cogitationem quidem; O fallaces noſtras ſpes! O vana, & irrita noſtra vota! O miſeram, & nimis lubricam humanarum rerum conditionem! lingua horret dicere, cor, & mens linguæ conſentiunt; ah ſuperi! quid me ad

hoc

hoc funeſtiſſimum nuncium proferendum ſervaſtis, quantum mihi melius si eum in itinere præceſſiſſem! cur idem caſus non utramque traxit ruinam? cur eodem die ſol non utrique denegatus? quid faciam infelix, & miſerrima pars mei, amiſſa nobiliſſima parte, quæ erat cor mei cordis, vita meæ vitæ, mens meæ mentis? quid faciam nec ſatis mihi carus, nèc integer ſuperſtes? incidit in morbum, qui nulla medicina aùt coerceri, aùt vinci potuit. Inopinato, funeſtoque caſu quiſque pallore inficitur, mœrore contabeſcit, lacrimis ſe abſtinere non poteſt; ipſe unus nihil vultu, & fronte mutatus oculis philoſophicis mortem intuetur, ad Dei voluntatem ſe conformat, munitus iis remediis, quibus animas e vita jàm jàm diſceſſuras pia Mater *Eccleſia* reficere conſuevit, & Jeſu Chriſti vulnera, in quibus æternæ ſalutis ſpem collocave-

 rat,

rat, pluries oſculans, placidiſſimè in Domino acquievit.

Jure omnes vultu pallemus, oculis mademus, pectore contabeſcimus: omnes perdidimus, plurimum perdidimus, quantùm perdere poteramus, perdidimus. Tu Reverendiſſime, & Illuſtriſſime Antiſtes perdidiſti tuæ excelſitatis, & ſplendoris æmulum, atque imitatorem, amicum fideliſſimum, qui ſemper pro te dixit, pro te fuit, pro te ſtetit; Vos patriciæ familiæ perdidiſtis veſtri ordinis ornamentum, veſtræ dignitatis ſplendorem, veſtræ coronæ gemmam prætioſiorem, a quorum ſententia nunquam diſceſſit, quorum conſilia ſemper ſequutus, quorum auctoritatem graviſſimam ſemper habuit; Vos, Cives ampliſſimi, Civem perdidiſtis, qui potius de veſtra, quam de ſua ſalute laboravit; quorum gloriam ut amplificaret, pericula ſubiit, ſu-

do-

dores fudit, pecuniam neglexit, ipſamque requiem corporis ſibi denegavit; Vos quoque, Cives infimi, perdidiſtis hominem, qui in vobis ſuos ſocios ſemper cognovit, qui veſtram cauſſam, tamquam ſuam, conſtantiſſimè non ſolúm opere, vèrum etiàm pecunia ſublevavit. Nec cauſſæ lacrimarum inter noſtros parietes, & mœnia continentur; ultra dilabuntur, & longius propagantur. Habet unde doleat, mœreat, contriſtetur Sicilia, Italia; Europa, Mundus. Perdidit Sicilia præconem ſuarum laudum, ſuæ antiquæ dignitatis obſervatorem. Perdidit Italia ſuarum Academiarum non mediocrè ornamentum. Eùropa, Mundus, amicum, quem toties expertus fuerat fideliſſimum, & liberaliſſimum, quoties eum talem experiundi occaſio oblata fuit, & tempora poſtulaverunt. Perdidimus plurimum, nèc ſoli perdidimus; tota Europa nobiſcum

illa-

illacrimatur. Catina, Patria mihi cariſſima te regiis veſtibus ſpolia, cinge frontem nigro cypariſſo, et amaris abſinthiis. Ah quantum inane toto Orbe reliquit unius interitus, inane tàm extenſum, ut vix mente, et cogitatione complecti poſſimus! et quem ſperamus tot malis remedia laturum, tot damna compenſaturum, tot ſpatia vacua completurum, tu tu unus tot incommodis, Hæres ſapientiſſime, cum dignitate conſulere poteris; ſanguis tui parentis optimi eſt ſanguis tuus; illius virtutes, virtutes tuæ; bonæ ad omne bonum propenſiones, tuæ propenſiones; Sancti Genii pacis, facilitatis, clementiæ, qui tui parentis cordi ſolliciti evigilabant, tuo cordi evigilant; tibi non deſunt litteræ cujuſcumque generis; ipſum Naturæ ſtudium, quod tantum noſtris diebus incaleſcit, fuit tuæ adoleſcentiæ non mediocris occupatio; vigeſimum annum non-

dum

dum attigeras, et recentia e prelo adhuc calida Buffonii opera bis, aut ter nocturna, diurnaque manu verſaveras; linguæ eruditiores ſunt tibi familiares; te adoleſcentem penè puerum, et ſcripſiſſe epigrammata græca, et in Academia publicè recitaſſe non ſum ità ſenex, ut obliviſci poſſim; tàm amplo litterarum patrimonio non minus ac ille fuit, potes eſſe decori, ornamento Familiæ, Patriæ, Regno; æque, ac ille ſatisfecit clarioribus Europæ Academiis, ſatisfacere; tua lenitate, & facilitate vicinum, & remotum Orbem quemadmodum, & ille devinxit, devincire; tuo conſilio, & prudentia facere, ut de te Neapolis eadem ſentiat, quæ de illo ſenſit. Quid moraris? frange repagula, & cancellos, in quibus diu te clauſum eſſe voluit quædam nova incredibilis, & tui unius propria filii erga patrem obſervantia, ſuis quidem laudan-

da

da temporibus; fuiſti ſapiens ſine noſtro periculo, noli cum noſtro periculo fieri ſapientior. Quid moraris? Egredere, comple inane a Patre relictum; oſtende Patriæ, & ſæculo virtutes, quas in te ad noſtram utilitatem divina Providentia collocavit; difficilem, & ſcopuloſam Gloriæ viam ingredere, quam ſignatam clariſſimis tui Parentis veſtigiis invenies. Aſpice monumenta, quæ ille ad æternitatem reliquit, aſpice metas, quo ipſe fato impeditus pervenire non potuit; & tibi non occupandas ſolum, verùm prætereundas tamquam alteri ſibi reſervavit. Macte ingredere; boni Genii, Virtus, Immortalitas te in magno itinere comitabuntur, difficileſque aditus explicabunt. Redde magis vanos, & mendaces paucorum hominum rumuſculos, qui effutiunt, idem marmor, quod Parentis oſſa tegit Familiæ nomen tecturum; dixi magis; quia

ſatis

ſatis vanos, mendaceſque tua illa verba, verba honoris, magnificentiæ, liberalitatis: *Spendete ſenza miſura*, exequiarum occaſione, corde potiús quàm lingua pronunciata, declaraverunt. Dixi paucorum; nàm totum corpus Civitatis tuum eſt; nèc ſperat, verúm pro certò habet te patris gloriam non modo conſequuturum, ſed ultrà tuos rapidiſſimos volatus extenſurum.

Ad lacrimas redeamus; verùm ſatis lacrimis datum; & dubitandum utrum noſter noſtro magno Civi fletus arrideat. EGNATIUS enim intravit in gaudium Domini ſui; illud Regnum occupat bonis omnibus affluens; illo Cœlo fruitur, quod neſcit nebulas, tempeſtates, noctem; illam vitam vivit, quæ nec fortunæ incoſtantiæ, nec mortis periculo ſubjicitur; quam non horæ, non dies, non anni, non ſæcula, ſed tota quanta quanta eſt æter-

nitas

nitas ſua infinitate complectitur. Ipſe etiam, dum vixit, adverſis fortunæ caſibus aliquando agitatus, nunquam non dico flevit, ſed ne vultu quidem fuit mutatus. Mors illum petiit, ſed impavidum petiit, annos ademit, non conſtantiam. Quare feliciſſimus ejus præſens ſtatus, & illa ſui unius propria fortitudo ſunt quædam mutæ ſententiæ, quæ noſtras lacrimas exprobant. Noſtro enim fletu, aut felicitati invidere, aut de ejus conſtantia dubitare videmur. Sinite ergo, ut cum EGNATIO ita loquar communem lacrimarum cauſſam defenſurus: Anima ſancta, anima fortunata, quæ corpori adhærens feciſti lætos tuorum Civium dies, & nunc diviſa mœſtos, & calomitoſos; ſi hujus auguſti templi pavimentum noſtris lacrimis madefecimus, lacrimas noſtras ne reprobes; ea vulnera nobis tua funeſtiſſima mors inflixit, quæ tantum lacrimis ex aliqua par-

te

te recreari poſſunt! in cive amicum, in amico patronum, in patrono benefactorem, in benefactore parentem ſtudioſiſſimum perdidimus. Si noſtris fortunis, & ſanguine ad ſocietatem revocari potuiſſes, noſtras fortunas, noſtrum ſanguinem libentiſſimè fudiſſemus, & in hoc fauſtiſſimo eventu nullus lacrimis locus, niſi illis, quæ a maxima lætitia oborirentur; ſed quoniam id fieri nullo modo poteſt, ſine dari mæſtitiæ locum, ſuſpiriis aditum, lacrimis campum. Tibi in vivis ſaxa, & monumenta noſtræ antiquitatis tuis illuſtribus ſudoribus humectare licuit, & nobis marmor tui ſepulcri noſtris lacrimis madefacere non licebit? Nec credas ſolis lacrimis quantum tibi debeamus expleturos. Quiſque Civis in medio cordis aram extollet, ubi tui memoriam, quoad vixerit, conſervabit. Dum Ætna ſlabit nunc flamma minax, nunc glacie candida; dum Si-

me-

metus noſtros agros ſuis humoribus fœcundaverit, tui nominis, tui amoris, tuorum beneficiorum recordabimur. Patres de te filiis, filii nepotibus, nepotes ſeræ poſteritati narrabunt. Excipe hoc fletus ſimul, & grati animi ſacrificium tibi juſtum, noſtris viribus ſatis, quantum debemus parum. Nec obliviſcaris nos, ſancta anima; & quemadmodum in terris Patria, & cives fuerunt tuum præcipuum negotium, ita in Cœlis Patria, & cives non ſint ultima cogitatio.

Hæc ego omnium nomine cum EGNATIO loquutus ſum; nunc verò EGNATII vocem audire jàm videor ſic vobiſcum loquentis ex tumulo; per mea labia ejus ſuaviſſimam orationem accipite: Amantiſſimi Cives, dum vixi, nota mihi ſatis veſtra in me charitas, ſed poſt meum interitum tanta, quanta ſuſcepit, ſuſcipere poſſe incrementa nec credebam, nec

opi-

opinabar. Rex, aut Cæſar, qui patris nomen jure ſibi meruit, majores grati animi, & doloris ſignificationes repetere a ſuis certè non debuit. Hoc die, qui vobis eſt dies jejunii, ſilentii, ſqualloris, mihi verò glorioſus, non mea funera, ſed neſcio quid mei triumphi celebrare potiùs videmini. Hodie meorum laborum, quos pro Patria ſuſcepi, mearum noctium, quas vigiles exegi, meorum dierum, quos traduxi ſollicitos, fructum ampliſſimum conſequutus fui. Quare ſi tot veſtræ in me benevolentiæ teſtimoniis affectus de nulla agenda gratia cogitarem, ingrati animi turpitudinem non effugerem. Gratias ergo, quas poſſum maximas ago Reverendiſſimo, & Illuſtriſſimo Antiſtiti homini ſingulari, non ob dignitatem, qua plurimos, verùm ob virtutem, qua perpaucos habet ſocios ſpectatiſſimo; gratias Illuſtriſſimo Senatui hujus clariſſimæ Urbis capiti,

hujus

hujus florentiſſimæ nobilitatis ornamento, publicæ ſecuritatis columini; Reverendiſſimis *Capitulis*, hominibus prudentia, litteris, ſanctitate conſpicuis, qui ſua præſentia mea honorare funera non dedignantur; gratias Civibus ſanguine, et nobilitate diſtinctis; gratias illis etiam, qui ob ſibi demandatam legum cuſtodiam ad nobilitatem quam proxime accedunt; gratias omnibus honeſtiſſimis hominibus, qui meum circumfuſi cadaver meis exequiis addere videntur neſcio quid inſolitæ majeſtatis; gratias demum inferioribus civium ordinibus, qui obliti quæſtum clauſis tabernis, operis intermiſſis, templum hoc auguſtum tanta, quanta vix credi poteſt, multitudine compleverunt. Nec credatis, me vos, cives optimi, aut eos, qui poſt vos erunt, oblivifci poſſe. Omnia in terris mea morte reliqui, opes, poſſeſſiones, honores, dignitates; Virtus, et amor Patriæ me ſequutus mecum commorabitur, qui

eo

eo ferventior in Cælis erit, quo purior atque nitidior. Quam frequenter DEUM OPTIMUM MAXIMUM deprecabor, ut veſtris campis abundantiam, veſtræ Urbi amplitudinem, vobis omnibus omnia illa bona, quæ ad corporis, et animæ ſalutem conducunt, benigniſſimè elargiatur. Valete Cives optimi, eſte felices, eſte incolumes; fruiminor illa Urbe, quam pulcherrimam meæ curæ, labores, vigiliæ reliquerunt. Verùm EGNATII vox amplius meas aures non circumſonat. EGNATIUS a me diſceſſit, liquitque in imo cordis nova ad lacrimas incitamenta. Sed et mea vox, et veſtræ aures longa oratione defeſſæ requiem poſcunt. Reliquum eſt tantum, vos rogare atque orare ſub finem, quemadmodum ſub initium dicendi rogavi, et oravi, ut mihi ea, in quibus non mea voluntate peccavi, clementiſſimè remittatis.

F I N I S.

99 961217

Errata

Pag.	*lin.*		
7.	7.	merore	
9.	5.	pæniteat	
11.	3.	comodis	
16.	19.	concnr	
19.	6.	poæſi ,	
20.	20.	afflirione ,	
21.	6.	ineſtricabilia,	
23.	18.	comunicatur ,	comm
25.	4.	ſelicem ,	felicem
28.	7.	Licurgus	Lycurgus
29.	15.	littora	litora
35.	5.	inpenetrabilis,	impenetrabilis
36.	16.	Svevorum ,	Sueorum
40.	3.	Cibelis ,	Cybelis
47.	9.	confeſſione ,	confeſſione
50.	9.	Ppiloſophus	Philoſophus
63.	15.	reliqum ,	reliquum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google